

Di Rev/1

Em.me ac Rev.me Domine:

Gratias ago Eminentiae Tuae Reverendissimae pro epistola ad me missa die 21 Januarii.

Tibi virilem sinceritatem libenter gratulor qua in ipsa quaestiones pertinactas; mea quoque interest pari sinceritate Tibi rescribere ac respcionem meam etiam Episcopis Reipublicae Chilensis, sicut et Tu Tuam, transmittendam curare, eo magis quod in aula conciliari potius quam mea sponte ex Eorum petitione et Eorum nomine ac nonnullorum aliorum Episcoporum Americae Latinae locutus sim.

Sententiam prolatam non Eorum tantum sed meam quoque esse certissime affirmo, imo eam nunc magis adhuc sincere amplector post attentam ac iteratam lectionem Tuarum obiectionum.

Rationes preferendi ac sustentandi talem sententiam profluunt, ut opinor, ex Ecclesiae atque veritatis amore.

Dicis meas affirmaciones in oratione conciliari caruisse seria probatione. Sententiam aliquam non plene probari in tam brevi oratione possibile esse evidenter censeo; decem illa momenta non excedenda inserviunt, ni fallor, magis ad testimonium prohibendum de sententia alicuius vel aliquorum Patrum conciliarium quam ad probationes perfectas excogitandas atque evolvendas, praesertim si ab aliis Patribus nuper in eadem aula tales rationes ostensae sint.

Mea oratio in congregazione generali, et quidem die determinata, et non abstracte et per se sola, proleta est! Suffragatio qua fere duae tertiae partes Patrum praesentium schema reicerunt, quamvis non sit in scipsa argumentatio, est certe testimonium eloquens defectuum schematis et signum serietatis probationum in aula propositarum.

Ceterum opinor quod in tribus punctis meae orationis sufficienter innuebantur probationes sententiae nostrae, nec Tuis evincor obiectionibus quas contra illam scripsisti.

Breviter Tuis quattuor punctis respondere curabo, non cupiditate disceptationis sed urbanitatis veneratione (quia personaliter voluisti orationem meam examini subiicere, momentum ei conferendo maius quam quod egoipse eam putarem habere) et libertatis expressionis obsequio, cuius insuetam demonstrationem experti sumus in memorabili prima sessione conciliari.

Tuis quattuor punctis respondendo ab essentiali themate meae orationis aliquantulum aberrare debebo; Tuae obiectiones enim de assertionibus marginalibus agunt; tria mea puncta, e contra, evoluebant sequentes ideas centrales:

1. critica schematis quia non induitur indole pastorali et caret spiritu oecumenico;
2. expositio positiva, quamvis valde synthetica, de mente pastorali et oecumenica, iuxta nostram opinionem;
3. affirmatio necessitatis alicuius schematis "de Revelatione" et propositio statuendi speciale commissionem (quam postea S. Pontifex revera statuit) ad hoc congrue faciendum.

Hisce praemissis, veniam ad Tua quattuor puncta eodem animo quo Tu mihi scripsisti, "ut suus, nempe, veritatis sit locus".

AD PRIMUM. — Juxta rescriptum Tuum ego dixisse "schema redolere unam tantum scholam catholicam et uni tantum scholae catholicae favere, ideoque dissensum creare inter ipsos catholicos".

Mea, autem, assertio sic exactius exprimebatur: "nunc, ex disussionibus iam peractis, sufficienter patet schema istud carere illis conditionibus, quia ex una parte scholam redolet (NB: scilicet, stylum manualium theologiae!) et ex altera uni tantum ex catholicorum sententiis favet. Et sic omnes conspicimus (sc.: nunc in aula et Romae!) illud non solum non promovere unionem fratrum acatholicorum, sed insuper dissensus non parvipendendos introducere inter ipsos fratres catholicos, sive hic (sc.: in aula!), sive in Universitatibus et in Seminaristarum formatione (sc.: Romae... lamentanda quaestio de Instituto Biblico!)."

Censeo seriam probationem "partialitatis" et "scholaritatis" schematis, a nobis affirmatae, fuisse suffragationem Patrum et Eorum copiosas Obiectiones.

Omnis audivimus, exempli gratia, quomodo qui in aula conciliari locutus est nomine Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam lamentabatur Commissionem Theologicam non audivisse propositiones procedentes ab alia catholicorum sententia (differenti ab illa qua rescriptum erat schema): "noster Secretarius, inquit, suum adiutorium obtulit Commissioni Theologicae sed Commissio, propter rationes de quibus mihi non est iudicandum, noluit. Proposuimus constitutionem Subcommissionis mixtae, sed Commissio Theologica respondit: non, hoc non voluntus".

Aliquas annotationes, paucas quidem sed concretas, quae sufficienter innuere possint schematis defectus, nunc breviter annumerabo:

a)- In capite I schematis constitutionis dogmaticae "De Fontibus Revelationis" loquitur categorice de duplice fonte Revelationis (cfr.: titulum in pag. 9 et paragraphos 4 et 5 in pag. 10-11) etenim, secundum assertionem Tuam "Commissio Theologica... religiose conata est statuere ea quae sunt doctrina communis Ecclesiae".

Nunc autem, interpretatio duplicis fontis seu ambitus Traditionis oralis tanquam alterius fontis quantitative a S. Scriptura differentis, quamvis sit opinio non nullorum theologorum ac plurimorum theologiae manualium, non videtur tam categorice esse doctrina communis Ecclesiae de qua hoc Concilium loqui debeat; tali interpretatio de facto reicitur a theologis catholicis bonae famae, qui sententiam hanc minime consentaneam reputant traditioni Ecclesiae (cfr.: Geiselmann, "Schrift und Tradition", Freiburg 1962); ipsa Tridentina Synodus noluit dirimere theologorum disputationes et loco "partim... partim" scripsit "et" (D. 783); neque Concilium Tridentinum, neque Vaticanum I, neque Encyclica "Humani Generis" loquuntur de "duplice" fonte. Non video cur Concilium nostrum, quod iuxta iteratas affirmations S. Pontificis Joannis XXIII f.r. (quas adducimus in nostris annotationibus ad schema "De Ecclesia" Tibi quoque missis) alios habet fines, hanc debeat disputationem dirimere et quidem praecise secundum sententiam duplicis fontis, quae est una tantum catholicorum sententia.

b)- In capite II schematis loquitur de inspiratione S. Scripturae per paragraphos 7-11 in pag. 12 et 13.

Ibi videtur adesse aliqua confusio quae ducere potest ad proponendam unam tantum catholicorum sententiam circa explicationem charismatis inspirationis. Schema enim non distinguit inter "factum" inspirationis, quod est certissime def fide, et eius "explicationem", quae est elaboratio progressiva et in parte adhuc simpliciter theologica. Igitur, propter parentiam istius distinctionis explicatio inspirationis in schemate facta (n. 10) ansam praebere potest ad damnationem serii conaminis aliquorum theologorum catholicorum optimae notae (ex. p. Benoit, Rahner); hoc autem, iuxta nostram opinionem, improprium est istius Concilii. In ipsa explicatione inspirationis (n. 8), quam schema desumere videtur ex Encyclica "Providentissimus" Leonis XIII, omittitur actio Dei in voluntatem hagiographi (D. 1952), quae magnum habet momentum in ista tam subtili quaestione, praesertim si prae oculis habes quod facile est confundere inspirationem "biblicam" cum inspiratione "prophética" et quod schema ex laudabili proposito extollendi actionem auctoris divini, videtur minus explicare in sua integritate actionem auctoris humani.

c)- In eodem capite II, ubi agitur de inerrantia S. Scripturarum nn. 11-14 in pag. 13 et 14, schema omittit aliquid (et inde magnum partialitatis periculum!) quod videtur omnino necessarium ad rectam inerrantiae propositionem et explicationem, scilicet intentionem hagiographi.

Ad iudicium proferendum de aliquo "errore", fundamentale principium exegeseos esse censeo intentionem hagiographi; "error", enim, in S. Scripturam est, de facto, aliiquid difficiliter definibile et minime univocum; ^{relata ad} ^{revera ex intentione intentionis} ~~et~~ ^{de sua explanatione} ~~et~~ ^{selon ex auctoris humani} intentione totalis inerrantia Scripturarum ^{probari} potest.

Aliud non dissimile partialitatis signum mihi videtur esse praeiudicium schematis contra genera litteraria, quorum recta cognitio necessaria evadit ad

intentionem hagiographi congrue dilucidandam. Revera mihi videtur dicendum esse Encyclicam "Divino Afflante Spiritu" Pii XII ampliorem ac clariorem esse (cfr.: D.2294) quam istud schema.

d)- In capite IV schema agit de diffcili quaestione historicitatis Evangeliorum modo periculose univoco (pag.13,1.34), cum, e contra, iuxta Encyclicam "Divino Afflante Spiritu" constat quod genera litteraria haberi possunt etiam quoad eventus historicos ita ut indoles historica in variis scriptis non sit univoca sed analoga. Secundum aliquas affirmations schematis (nn.21 et 22 in pag.17) et 18) videatur concipi nimis materialiter historicitas Evangeliorum ita ut eorum auctores humani veluti simplices "chronistae" habendi sint. Etiam hic, ergo, oporteret locum dare generibus litterariis, quae, si serio et critice adhibeantur, sunt media omnino efficacia et necessaria, non quidem ad genuinam historicitatem delendam, sed ad eius specialem characteristicam apte et scientifice determinandam.

e)- Quin enumerationem nimis longam omnium defectuum qui, iuxta nostram sententiam, in schemate inveniuntur Tibi inutiliter nunc referam, hi, quos breviter et ad instar exempli enumeravi, mihi ita graves videntur ut partitatem schematis sufficienter ac serio probent et exinde explicit nostrum "non placet". Uberius et clarius in ipsa aula conciliari plures Patres locuti sunt, maiore auctoritate et scientia fulciti. *prostili*.

Haec sufficere autumo ad Tuum primum punctum.

AD SECUNDUM. - In Tua secunda obiectione dicas me obiicere "schema sapere professionalem deformationem: potius enim quam damnare expedire ut Ecclesiae doctrina uberior exponatur".

Etiam hic notandum imprimis est quod ego exactius dixi: "nobis videtur inter causas defectum schematis adnumerandam unam, quae, ni fallimur, sapit professionalem deformationem, ut hodie dicitur. Nam in schemate percipitur mens potius iudicis quam pastoris". Deinde explicabam munus pastoris et munus iudicis in doctrina et aiebam: "mens pastoralis et oecumenica praे oculis certe habere debet et errores et pericula fidei, sed ad illa vitanda utitur praeprimis ipso veritatis splendore.... Pastores docent ut patres.... eorum bonum nuntium non est simpliciter definitio stricte orthodoxa et alicui errori opposita, sed veritas vitalis ex caritate Dei orta et ad amorem Dei ducens.... proponenda est clare, perspicue, amabiliter ipsa vox Patris, quia nemo potest venire ad Christum "nisi Pater traxerit eum".

Tu, ergo, contra sententiam nostram demonstrare curas in unoquoque schematis capite non adesse fere ullam condemnationem. At, queso, quis affirmavit mentem iudicis in doctrinalibus pendere tantum a materialitate alicuius condemnationis? Censeo totum istius schematis stylum ac expositionis methodum fulciri potius cupiditate orthodoxiae quam amore evangelici nuntii; schema proprius accedit ad theologiae scholasticum manuale non pauca vi apologetica praeditum, sed elongatur a vitae christianaे renovatione iuxta hodiernam sollicitudinem pastoralem et oecumenicam.

Cum die 11 octobris audivi allocutionem illam Joannis XXIII f.r., profunde expertus sum magnam differentiam inter claram voluntatem S.Pontificis et redactionem primorum quattuor schematum Seriei Prima nobis antea remissae: "Nostrum nos est, dicebat S.Pontifex, pretiosum hunc thesaurum (doctrinae catholicae) solum custodire, quasi uni antiquitati studeamus, sed alacres, sine timore, operi quod nosta exigit aetas, nunc insistamus, iter pergentes quod Ecclesia a viginti fere saeculis fecit. Neque opus nostrum, quasi ad finem primarium, eo spectat ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur... Etenim ad huiusmodi tantum disputationes habendas non opus erat ut Concilium Oecumenicum indiceretur..... oportet ut haec doctrina certa et immutabilis, cui fidele consequium est praestandum, ea ratione per vestigetur et exponatur quam tempora postulant nostra. Est enim aliud ipsum depositum fidei, seu veritates quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus quo eaedem enuntian-

tur, eodem tamen sensu eademque sententia. Huic quippe modo plurimum tribuendum erit et patienter, si opus fuerit, in eo elaborandum; scilicet eae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruant".

Eandem indolis differentiam nunc experior legendo epistolam S. Pontificis Joannis XXIII ad unumquemque Episcopum et Patrem conciliarem ad me perventam simul cum Tua. Ibi sentio sollicitudinem Patris studiosi offerendi mundo actuali vivum nuntium salutis, hic autem video curam defendendi orthoxiam potius quam proclamandi nuntium salvificum quasi innuendo indolem pastoralem tantummodo consistere in defensione iurium ipsius orthodoxiae.^{XX}

Rem superfluam perpendo repeterem hic qualificata argumenta quae in aula conciliari audivimus circa carentiam in schemate indolis verae pastoralis et oecumenicae.

AD TERTIUM. - Scribis longe a vero distare asseverationem, quam nostram dicis, "schema esse negativum".

Revera in aula ego appellaveram "negativum" non ipsum schema sed aliquod munus apologeticum: "apta veritatis propositio, aiebam, vim maximam habet non solum ad arcendos errores (quod munus negativum tantummodo est) sed praesertim ad animos alliciendos et ad regnum Dei eiusque iustitiam positive quaerendam et amandam". Autem schema redactum esse mentalitate praesertim apologetica et iuridica (eadem quam criticamus et quam videre potes in nostris annotationibus ad schema "De Ecclesia") et nunc etiam adiungere possum, mea personali asseveratione, ipsum esse hodie, de facto, negativum; propter quod sincere laetor quod specialis Commissio a S. Pontifice proposita ipsum plene recognoscat.

Asseveratio nostra quod errores imprimis refutari debent splendore veritatis non accipienda est ut aliquid abstractum ac intemporaneum, sicuti deduci videatur a Tua terrena obiectione; imo autem consideranda est ut pars alicuius contextus in quo essentialiter explicatur quid sit indoles pastoralis atque iste ipse contextus considerandus est ut pars prolongatae per dies discussionis in aula conciliari.

Ideo mihi videtur male sonans illa Tua ironica assertio circa epistolas pastorales S. Pauli et circa orationem montanam Domini. Quod nimis probat, nihil probat! Opinor non obstari indoli pastorali et oecumenicae quod in aliquo bono schemate adsint anathemata, dummodo tales condemnationes contineantur in contextu sincere pastorali ac vere paterno, sicuti est contextus epistolarum S. Pauli atque Evangeliorum.

Demiror etiam quod ad finem Tuæ secundae obiectioñis identificare conaris citationem aliquam Concilii Tridentini cum tota illa magna Synodo. Sine dubio poteris adducere alias affirmaciones (inter quas etiam illa "circiter 130 anathemata") ad sustentandam sententiam nostræ opinioni dissimilem; at cur, quae non possum proferre aliquam assertionem quae in se vere et obiective confirmat sententiam nostram?

Hic insuper adiungere fas est et alia momentosa annotatio ad Tua dicta, scilicet: nescio me gerere vices Episcoporum Americae Latinae (-scribis passim: "attendant Episcopi Americae Latinae", "quia Episcopi Americani Latini consilium dant", "mirandum sane est hac in re Episcopos Americae Latinae provocare", "iure merito putant Episcopi Americani Latini"); solum scio me illa die in aula conciliari locutum esse nomine aliquorum (sic intelligo verbum "nonnullorum") Episcoporum Americae Latinae, praesertim (ergo non sine aliqua exceptione) Reipublicae Chilensis.

AD QUARTUM. - Quoad series probationes, quas petis in Tua quarta obiectione, censeo me iam sufficienter respondisse in initio in primo puncto huius rescripti.

Velle potius bene explicare sensus nostros quoad Commissionem Theologicam. Ex Tua epistola mihi apprime visum est (sincere dicam) Te magis querere de-

fensionem illius Commissionis quam veram perfectionem ipsius schematis concilia-
ris; veniam Tibi peto ob tantam audaciam, sed revera sic sentii. Epistulam iterum
legenti mihi videtur Te directe defensionem curare laboris Commissionis Theolo-
gicae utpote praeditae ^{maxima} ~~meliori~~ competentia, quia, uti dicis, "consistit ex mem-
bris variarum scholarum et religiose conata est statuere ea quae sunt doctrina
communis Ecclesiae".

Scias non omnes Tecum convenire in tali iudicio sed nos, in illa nostra oratione
conciliari, minime ^{voluisse} ~~velle~~ in Commissionem Theologicam ullo modo invehiri. Sensus
nostrae orationis non fuit critica alicuius Commissionis, sed solum sincera vo-
luntas praestandi Ecclesiae officium nostrum episcopale, etsi forsan valde im-
perfecte; locuti sumus cum libertate in Domino pro populi christiani bono iux-
ta nostram pastoralem conscientiam, sicuti bene scit divinus Spiritus.

Haec Tibi christiana sinceritate dicenda putavi ad responcionem
dandam Tuae fraternae epistolae e Civitate Vaticana die 21 Januarii mihi missae.

Gratias iterum ago Eminentiae Tuae Reverendissimae, pro Qua Deum rogo et Cui
altissimae meae venerationis sensus pando.

In Domino Eminentiae Tuae Reverendissimae
humill. mus atque addict. mus

PATRIMONIO UC

Radulphus Card. Silva H.
Archiepiscopus S. Jaconi in Chylia.

Sancti Jacobi- die 7 Februarii-1963

EM. MO AC REV. MO DOMINO
D. NO CARDINALI ALAPHRIDO OTTAVIANI
ROMAE